Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2491

Quelle:
Copyright:

Vereor patres vereor, ne plures falsa se tueantur necessitate &c. Examinat deinceps V. Absentiae causas sive praetextus, et IV. Utilitates ejusmodi Conventuum annuorum exponit. Videas per omnia Virum Dei spiritu plenum, religiosae Disciplinae studiosissimum, et qui veritatem acriter inculcet. Dolendum itaque, Orationem hanc *Joh. Busaei*, qui *Pia* Nostri *Opera Moguntiae* 1604. f. in lucem dedit, oculos effugisse; ab Oratione enim a. 1497. habita ad habitam a. 1500. transit. Nostra, ut ad calcem notatur; dicta est in Coenobio *Reinhardsborn* in *Thuringia*, quod nunc *Saxogothanae* ditionis est.

DCLIV.

728 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Foliorum 82. 4. luculente scriptus, et minio distinctus complectitur *Statuta Ordinis Cisterciensium* et quidem edita in Conventibus generalibus ab Anno 1258. usque ad Annum 1350. Praemittitur *Tabula diffinitionum Annalium*. Statutorum vero hoc est initium: *Anno domini M°. CC°. LVIII°. Statuta sunt hec apud Cystercium in Capitulo generali. In primis. Cum excessus vocum et cantuum multipliciter deboneſtet ordinis boneſtatem. Idcirco cum ab antiquo per sanctos patres fuerit institutum. ut mediocritas seruetur in cantu* &c. Statutum ultimum Anni MCCCL. ita inchoat: *Inprimis deuocionem cunctorum fidelium utriusque sexus Cystercienſis ordinis profeſſorum qui celeſtis beatitudinis deſiderant fieri participes poſt tranſitum lugubre* (lugubris?) *huius uite uolentes fouere* &c. Haec *Statuta* non habentur serie chronologica, ut hic, in *Juliani Paris Nomaſtico* (quod apud *Lengletum* in *Monaſticon*, apud *Jöcherum* in *Onomaſticon* corrumpitur) *Ciſterc. Pariſ.* 1664. f. An inter *Conſtitutiones* ejusd. Ordinis *Divione* per *Petr. Metlinger* 1490. 4. impressas reperiantur, dicere non habeo, cum solum *Privilegia* Ord. ab *eod. ibid.* 1491. 4. prelo subjecta ad manum sint.

DCLV.

Codex membraneus lat. Sec. 153 XIV. et XV. Folior. 245. f. per duas columnas nitide scriptus et miniatus continet. I. *Humberti*, f. *Huberti, Umberti, Imberti de Romanis*, galli a. 1254. *Budae* in *Hungaria* ad generale Ord. Praed. Magisterium evecti et ✠ 1277. Librum *de Inſtructione Officialium FF. Ordinis Praedicatorum*. Constat Capitibus XLVII. elenchum praecedente hac nota: *Iſta que ſubſcripta ſunt de officijs ordinis. non ſunt ſcripta ad hoc quod inferant aliquam neceſſitatem. ſed ad hoc tantum ut fratres quibus imponuntur aliqua officia et nondum ſunt in illis bene inſtructi. poſſint hic reſpicere ſi velint. et ſi aliquid ibi inueniunt quod eis rationabile videatur. poſſint acceptare ſi volunt. Alioquin in nullo tenentur ex ui huius ſcripture propter quod dicitur inſtructorium.* Sat certe benigne. Post *Capp.* elenchum *Incipit prologus venerabilis patris.*